

Adrian Wolfhard¹⁾ an Vadian.

Weissenburg. 1513. April 17.

Klage über das lange Schweigen Vadians. Gruss an Tannstetter.

Salve, Vadiane amicissime. Provocatus pluribus literis mirari satis non possum, Sigaliona sive Harpocratem sive Angeronam sive Amyclæos^{a)}, ut ranas Seriphias et Pythagoricorum scolam omittam^{b)}, te usque adeo diligere^{c)}, immo^{d)} tantopere venerari. Quo nostri pulsus amor? Quid Tantaleum poculum exsiccatum^{e)}? Num mei te tædet^{f)}, num emporeticæ chartæ^{g)} te pænitet^{h)}? Num sepia nulla tibi? Nam nedum literas sed ne elementum hactenus abs te accepi; quo fit, ut me ipsum rusticitatis arguam dirasque imprecer. Quippe si te mei amantem cognoscerem, — taceo Lacedæmoniorum Histei et Cleomenis filiæ in absconden-

dis epistolis, ut Herodotus in Terpsichore¹⁾²⁾ et Polyhymnia³⁾ Gellius-que Noctibus Atticis aiunt, memorabile inventum — creberrimas subinde epistolas nec Laconicas viderem. Sed indulgendum est forte nuntiorum^{k)} penuriæ græcantisque^{l)} fidei tabellionibus, fateor; oro tamen, cum nulla (non dico Aegyptiacæ arundinis) papyri te necessitas abducat, frequenter mecum agas idque erit fricantem refrica, mutuum muli scabunt. Ut enim olim sæpe coram, ita absens solacio eris, nec me latere obtestor tibi persuasum sit, si quid illic Africa novi parturiet, vel quod literarum studiosos afficit, vel quod novarum rerum cupidis cordi est. Ego identidem faciam, si quid est, cuius maxime avidus es, præstandum^{m)} a nostratibus, edic, morem geram. Tu interim valeas feliciter, mihique patronum unicum doctissimum Georgium Tanstetter, cui (ut relatu accepi)

milibus e multis scitam Venus alma puellam

legit, ut optata prole beatus agat

me perpetuum offero mancipium, salutes adprime oro nostrosque calceographos amantissimos, me autem curis obvolutum multis at compulsum, ut reor, insperato videbis. Iterum vale. Datum Albæ Iuliæ, die XVII Aprilis, anno domini 1513.

Magister *Adrianus Wolfhardus*, conphilosophus,
ad omnia vota pronus.

M(agister) Georgius Tanstetter maximam apud nostrates hoc anno laudem sibi suis Ephemeridibus comparavit.

Doctissimo Musarum antistiti philosophiæque professori Ioa chimo Vadiano, in ædibus divi Hieronymi habitanti, amicissimo, patrono et amico.

n) „Amicleos“. — b) „omitam“. — c) „dilegere“. — d) „imo“. — e) „exicatum“. — f) „tedet“. — g) „carthæ“. — h) „penitet“. — i) „Terpsicore“. — k) „nuntiorum“. — l) „græcantisque“. — m) „prestandum“.

1) Vgl. zu Brief 19. — 2) Herodot, Buch V, c. 44. — 3) L. c., VII, c. 239.